



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Obligationibus Specialibus Certorum Statuum, De
Sacramentis In Genere, Et In Specie, Et De Censuris Et Irregularitatibus

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, MDXXXIV.

VD18 90392167

Q. 2. Quæ & qualis ablutio requiritur ad valorem Baptismi?

urn:nbn:de:hbz:466:1-41032

Resp. II. Materia proxima est ablutio, seu applicatio aquæ immediata & successiva ad corpus baptizandi. Constat. 1. ex Ephes. 5. *Mundans lavacro aquæ in verbo vite.* 2. Ex perpetuâ praxi Ecclesiæ, & verbis formæ.

Not. Ablutio non idem est ac expurgatio seu mundatio, nam hæc est effectus ablutio- nis, & potest esse sine illa.

Q. 2. Quæ & qualis ablutio requiritur ad valorem Baptismi?

Resp. I. Sufficit qualibet ablutio, sive fiat per infusionem, sive per aspersionem, sive per immersionem: nam qualibet est vera ablutio. In praxi tamen servari debet modus in una- quaque Ecclesia usitatus.

Resp. II. Necessè est illam corporis partem abluï, & tantam aquæ quantitatem adhiberi, ut ideo corpus dicatur propriè & simpliciter ablutum. Ad quod sufficit ut caput sit ablutum, ut constat ex praxi Ecclesiæ Latinæ; quia ca- put est præcipua corporis pars, & sensuum se- des, in quâ proinde manifestatur principium vitæ animalis.

An etiam sufficiat ablutio alterius partis no- tabilis, ut brachii, pectoris, &c. controver- titur; & licet communiùs affirmant, tamen hoc non est certum: quare graviter peccaret, qui extra casum necessitatis non ablueret ca- put; nam exponeret Sacramentum periculo nullitatis. Hinc Rituale Roman. præscribit,

P. 5

ut si

ut si infans in necessitate Baptizetur in alio membro, postea rebaptizetur sub conditione, *si non es baptizatus*. Multo minus certum est sufficere quantulamcunque partem corporis abluere, quod tamen non pauci tenent: unde extra necessitatem hoc non licet, & Baptismus sic in necessitate collatus iterari debet sub conditione.

Resp. III. Necessesse est ut aqua immediate tangat Corpus Baptizandi; quia ad veram abluionem requiritur contactus physicus & immediata aquæ applicatio ad id quod abluitur. Hinc non sufficit aquam applicari panniculis, nec utero materno, in quo adhuc detinetur infans, nec secundinæ, quæ est pellicula, qua subinde involuti nascuntur infantes; nam non est pars corporis, sed ejus involuendum. Imò juxta multos nullus est Baptismus, si soli capilli abluantur; quia non sunt strictè pars corporis, & illorum abluio non videtur sufficere, ut propter eam dici possit corpus ablutum. Igitur in praxi sub gravi curandum est, ut aqua ad cutem perveniat, & ea aquæ copia adhibenda, ut qui baptizatur, merito & secundam communem hominum æstimationem censeatur ablutus.

Item ad veram abluionem requiritur, ut partes aquæ applicentur motu successivo partibus corporis: nam aqua contenta in vase, quamvis illud tangat, non dicitur illud abluere. Porro si *Mater prægna mortua fuerit, foetus*

tus quam primum cautè extrahatur, ac si vivus fuerit, baptizetur. Rituale Roman.

Q. 3. An ad valorem baptismi requiritur trina infusio vel immersio?

Resp. Unica sufficit. Constat i. ex c. de trina de consec. dist. 4. & ex praxi Ecclesiæ, quæ sæpè unicam adhibuit. 2. Quia unica sufficit ad veram abluionem. Cæterum in praxi Minister tenetur servare suæ Ecclesiæ consuetudinem, & curare ut singulæ abluiones singulorum SS. Trinitatis personarum invocationi respondeant, ut Ritualia præscribunt; item ne forma totaliter perficiatur antequam perfecta sit ablutio totalis, ne scilicet aliqua pars illius abluionis reddatur inutilis.

Q. 4. An dum Baptismus fit per immersionem, requiritur emersio ad ejus valorem?

Resp. Non pauci affirmant; sed plures alii negant: quia ad veram abluionem requiritur solum immediata & successiva aquæ ad corpus applicatio, orta ex motu locali vel aquæ supra corpus, ut fit in effusione & asperione, vel corporis super aquam, ut fit in immersione; sive postea fiat emersio, sive non. Hinc inferunt validum esse Baptismum infantis, quem quis in flumen aut puteum projicit animo eum Baptizandi, & simul submergendi; modò formam debitam proferat antequam infans aquis suffocetur: quia tunc adsunt materia, forma, & intentio requisita ad valorem Baptismi.

Porro